

cum gloria, et triumpho victoriæ, liberati fuerunt [a], Deo immensas gratias referunt, cuius nutu [b] tot domuerant populos, et in civitate una eos recluserant. Eodem anno destruxerunt Flumanam [A]. Per idem tempus cunctis Bononiensibus, et maxime militibus, obiciebatur [c] non modicum, eo quod in tanto belli furore suos, alicujus banni timore, non juvissent [d] amicos.

De obsidione et destructione Castri Leonis, et de prima destructione Castri super Cosnam, quod dicebatur Castrum Portæ planæ.

CAP. CXIX.

Sub anno dominicæ incarnationis mcci, Faventini sub Majo potestate, mense Septembris [e] omnibus rite paratis obsederunt Castrum Leonis; ad quorum servitium libenter venerunt cives Bononienses, volentes mederi præterito casui; quibus in victualibus omnibus per v heptomadas [f] largissime dederunt expensas. Venerunt præterea ad Faventinorum servitium Imolenses, comes Guido Guerra, Abbas de Galiata [g] et alii quam plures. Cum fere totum Castrum manganis et aliis tormentorum generibus esset confractum, et intus reclusi omni viderentur destituti auxilio, venerunt super montem Pozoli [h] Ravennates, Populienses, Cervienses, Bretenorienes, et quidam Ariminensium milites [i]. Quibus visis, repatriarunt Imolenses, nostros in campo relinquentes turpissime. Tempore vero illo, Cæsenates nostros in guerra imitabantur [j] villas et alia Ravennatum loca, die noctuque, hostiliter destruebant. Cumque Bononienses, qui erant domi, audissent [k] de hostibus congregatis, omnibus relictis negociis, secum ducentes Imolenses, nostris succurrere festinabant. Sane Ravennates, scientes quod tot succurrerent nostris, media nocte silentio facto in castris maximè, recesserunt vilissime. At illi de Castro, ubi intelligunt [l] sese a nullo subsidium ulterius posse habere, Castrum potestati Bononiensium [m] et potestati Faventinorum, salvis personis et armis, tradere procurant; quod infra tres dies penitus combustum Faventini destruere modis laborant omnibus. Verum cum omni humanæ lætitiæ subito succedat tristitia, iratus non modicum Guillelmus Rangonus est [n], asserens Faventinos ante suum præceptum combussisse Castrum. Quare cives obsi-

[a] liberati fuerunt. Supplevi fuerunt. — [b] cuius nutu. Sic lego; civiumque nutu, C. V. — [c] obiciebatur. Sic lego, cum Cl. Mitt.; sed Codd. habent, obiciebantur. Fortasse legendum obiciebant. — [d] non juvissent, C. M.; non juvassent, C. V. — [e] mense septembris, C. M.; mense septembri, C. V. — [f] per v heptomadas. Sic lego; per v edomadas, C. M.; per quinque heptomadas, C. V. — [g] Abbas de Galiata. Sic Codd. — [h] montem Pozoli, C. M.; montem Puteoli, C. V.; vulgo. monte Poggiolo. — [i] et quidam Ariminensium milites, C. M.; et quidam Ariminenses milites, C. V. — [j] in guerra imitabantur. Sic Codd. — [k] audissent. Codd. habent: audissent. — [l] ubi intelligunt, C. M.; ut intelligunt, C. V. — [m] potestati Bononiensium. Sic Codd. — [n] Rangonus est. Deest in Codd. verbum est, quod addidi.

[A] Creditur a Tondutio Flumana esse castrum. In territorio Foroliviensi erat plebs Sanctae Mariae in Flumana, et abbatia Monachorum, ut constat ex charta Archiv. Archiepisc. Ravenn., signata ann. 1068, g. 2111; item ex alia, ann. 1318, d. 1006.